BIBLIOTHECA APOSTOLICA
VATICANA

BIBLIOTHECAE APOSTOLICAE
VATICANAE

CODICES MANUSCRIPTI RECENSITI

IUBENTE

LEONE XIII PONT. MAX.

PONTIFICATUS ANNO XIV

CODICES MANUSCRIPTI GRAECI
OTTOBONIANI
BIBLIOTHECAE VATICANAE

DESCRIPTI

PRAESIDE ALPHONSO CARDINALI CAPECELATRO

ARCHIEPISCOPO CAPUANO

S. R. E. BIBLIOTHECARIO

RECENSUERUNT

E. FERON ET F. BATTAGLINI

ROMAE
EX TYPOGRAPHEO VATICANO
MDCCCXCIII

MONITUM

Cum nobis munus ab Vaticanae Bibliothecae moderatoribus commissum fuerit, ut operam qualemcumque nostram conferremus ad catalogum novum redigendum codicum graecorum, qui in eadem sunt asservati atque Ottoboniani dicuntur, huic honori atque mandato totis viribus respondere sategimus. Ideoque propositam methodum sequi curavimus, qua in huiusmodi catalogis usus fuerat cl. v. H. Stevenson Senior, nonnullis in melius accessionibus adhibitis, sicut ipsi moderatores praescripserant, et cl. v. Vice-bibliothecarius S. R. E. I. Cozza-Luzi indicabat ostendebatque.

Eapropter in hoc syllabo librorum descripti sunt tituli operum graece, sicuti apparent in ipsis codicibus, ea ratione adeo fidelissima, ut mendosa quaeque verba referrentur. Quod quidem etiam praestare studuimus in caeteris repraesentandis, sive mnemosynis, sive adnotationibus etc., quae ex ipsis manuscriptis eruimus. Quidquid vero conferre posset ad enucleandam singulorum codicum historiam, retulimus tum in notis ordinis, quas codices singuli servant, tum in iis, quae vel possessores vel loca, ubi olim fuissent libri, commostrarent. Multam aeque et diligentem operam navare studuimus in condendis indicibus. In his non modo nomina retulimus

auctorum, verum etiam et personarum omnium ad quas, vel de quibus illi scripsissent; unde facilius inquisitiones hominum studiosorum ad reperiendas notitias opportunas manu veluti adduci videantur. Usi sumus ad rem conficiendam operibus graece descriptis saeculo ante a cll. vv. Vernazza et Spalletti scriptoribus Bibliothecae Vaticanae. Alter enim *Inventarium* nostrorum codicum magno in volumine descripsit; alter autem eorumdem manuscriptorum *Indicem* in alphabeticum ordinem disposuit. De historia, origine, vicibus bibliothecae huius Ottobonianae, quantum codices graecos spectat, disserit commentatio, quae est eruditum absolutumque opus praedicti Vicebibliothecarii nostri, qui non modo iam dicta a Constantino Ruggeri aliaque ad trutinam revocavit, atque in unum congessit; sed novis documentis atque animadversionibus provinciam hanc docte sane eruditeque locupletavit.

Nobis hoc unum restat, ut ab studiosis doctisque viris opus nostrum suscipiatur animo benevolo, et praecipue a Pontifice Summo LEONE XIII in his gaudii sui diebus benigne respiciatur. Eius enim beneficio est, si nunc *Indices Codicum Bibliothecae Vaticanae* denuo descripti in usum publicum edantur, eiusque singulari benignitati est si nobis concessum fuerit in hanc laborum partem venisse. Iccirco maiorem in modum et plausus et vota nostra, votis et plausibus gestientis orbis christiani liceat per hoc quasi indicium animi nostri ad eius pedes offerre.

E bibliotheca Vaticana die XVIII mensis Februarii, anno MDCCCXCIII.

ERNESTUS FERON
FABIANUS BATTAGLINI.

DE OTTOBONIANO-VATICANIS GRAECIS CODICIBUS NUPER RECENSITIS

COMMENTATIO

IOSEPHI COZZA-LUZI

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE VICE-BIBLIOTHECARII

ANNO . M . DCCC . XC . III.

PARS PRIMA

De graecis codicibus Ottoboniano-Vaticanis nuper in catalogum redactis.

I.

Cum ad Atticum suum Tullius scriberet, summis laudibus commendabat Tyrannionem sane doctum diligentemque libertum a Bibliotheca, nec non alios illi adiutores; nam libros ita recte apteque disposuerant, ut thesauris huiuscemodi, qui sunt alioquin materia usurae valde difficilis, quasi vitam intellectus adiunxissent. Iccirco aiebat: *Postea vero quam Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis aedibus. Qua quidem in re mirifica opera Dionysii et Menophili tui fuit.*.

Haec viris studiorum cultoribus perbelle dicta videntur; commostrant enim utilitatem librorum, quos bene dispositos unaquaeque servet bibliotheca eosque singulos scite ac erudite in catalogum habeat relatos. Quamobrem neque copia codicum, neque operum pretium ad studia provehenda satis valerent, si congestim cumulateque absque indiciis aptis coacerventur; vel ob invias inquisitiones, deficientibus signis propriis, haud facile possint reperiri pretiosissima quaeque ingenii cimelia. Flaccus [2] igitur iure

[1] Epistola ad Attic. lib. IV ep. 8 (an. U. C. 698)

[2] *Odarum* lib. III, od. n. 3 v., 49.

merito praedicabat nullius fore pretii et *aurum*, quando *irrepertum* illud terra celat.

Hinc valde laudanda cura est, si magnae librorum collectiones suis instruantur indicibus, qui perscrutantibus viris duces fidos sese praebeant; ac prorsus commendanda principum providentia est, qui in maximis bibliothecis haud sumptibus temporique parcentes operam moverint omnem, ut huiusmodi indices non modo unico vel paucis in exemplaribus manuscriptis collocentur ad usum uniuscuiusque bibliothecae, verum etiam per typorum impressiones multiplicati in vulgus ad emolumentum studiorum emittantur. Hoc pacto enim, non modo qui in loco sunt, sed omnes ubique terrarum cultores, tum scientiarum, tum litterarum facile norunt, quo instrumenta studiorum suorum sint reperienda.

II.

Id quidem, si de libris per typos multipliciter editis agitur valde iuvat, maxime autem valet in manuscriptis voluminibus indicandis, quorum unumquodque est ab aliis absimile exemplar. Emolumentum hinc sane quisque videt quantum studiis omnibus afferet illud plane sapiens ac docto principe dignum [1] consilium post Benedictum XIV [2] a Leone XIII Pontifice Romano iam ab exordio

[1] G. B. De Rossi, *La biblioteca della Sede Apostolica ed i catalogi dei suoi manoscritti* ecc. 1884.

[2] Magna extant volumina tria, quae edere Assemani aggressi sunt, illo pontifice auspice: *Catalogus Bibliothecae Apostolicae Vaticanae codicum manuscriptorum in tres partes etc.* 1756-1759. Quartum volumen incendio, absumptum est in aedibus auctorum, dum vix typis aliquot folia commissa fuerant. Viginti et amplius tomos complecti opus istud putabatur, methodo sane prolixa descriptum.

sacri sui principatus initum [1]. quo decretum est, etiam proprio attributo censu, ut omnes libri manuscripti Bibliothecae Vaticanae novis diligentibusque curis recenseantur, atque huiuscemodi recensiones sumptu suo edantur typis impressae. Eius summae laudis pars quaedam attigit et viros eminentissimos Ioannem Pitra [2], Placidum Schiaffino [3], et Alphonsum Capecelatro S. R. Ecclesiae Bibliothecarios, et decessores meos Vicebibliothecarios Iosephum Pecci atque Angelum Iacobini, nec non delectos viros ad opus hocce promovendum; quorum nomina reticere haud convenit, nempe Stephanum Ciccolini, Io. B. De Rossi, Henricum Stevenson seniorem, Augustinum Ciasca et Generosum Calenzio.

Iam quaedam horum indicum volumina prodiere, iamque alia parantur [4]. Et modo gavisi sumus dum viri diligentissimi, Ernestus Feron et Fabianus Battaglini nobis exhibuerint hos Ottobo-

[1] De Rossi, *De origine, historia, indicibus scrinii et bibliothecae Sedis Apostolicae*. Romae 1886, pag. cxxxviii.

[2] Cf. nuperrimum egregiumque opus: *Histoire du Card. Pitra benedictin par D. F. Cabrol prieur de Solesmes.* Paris 1893.

[3] Is vel paucis mensibus egit Bibliothecarius S. R. E. (a mense martio ad m. sept. an. 1889); attamen insigne nobis magistratus sui vestigium, quinimo monumentum, reliquit; nam de nova libris impressis procuranda sede ipse cum Pontifice auctore laudem vel praecipuam adeptus est. De hoc opere sane regio cf. opellam Antonii Sacco *Le nuove sale della Biblioteca Leonina*, in qua de opere technico praecipue agitur, et aliam Mariani Ugolini *La nuova biblioteca Leonina*, quae ad novum ordinem librorum describendum est destinata.

[4] Ab Henrico Stevenson Seniore typis mandati sunt catalogi codicum graecorum, qui venere e bibliotheca palatina Heidelbergensi, et a regia Christinae Svecorum, nec non e libris Pii PP. II. Atque eiusdem nominis filius (qui iunior apud nos dici solet) primum dedit volumen codicum latinorum Heidelbergensium, alterumque parat. In graecis Urbinatibus describendis codicibus operam contulit atque

nianae collectionis indices graecos rite descriptos, et opus suum iam typis commissum.

III.

De horum omnium codicum pretio, descriptione, historia singulatim indicationes huius catalogi verba faciunt, unde legentibus eruditis viris facile erit de unoquoque volumine iudicium. Haud certe omnes codices graeci heic recensiti, vetustissimi libri sunt, neque omnes eiusdem ac magni pretii, et fortasse haud cuncti pressiori vocabulo *codices* essent apellandi, si hoc nomine dumtaxat membranacei donari velint. Verumtamen ab ipsis Iuris publici tabulis novimus codices appellari non modo ea volumina, quae in chartis pergamenis scripta sunt, sed ea etiam documenta, quae litteris in eboreis vel ligneis, vel chartaceis, vel membranaceis plagulis fuere descripta. Et sane Ulpianus cum de legatis et codicillis ageretur, dixerat: *Quod si in codicibus sint membraneis vel chartaceis vel etiam eboreis vel alterius materiae, vel in ceratis codicillis...* [1] Ideoque in fronte voluminis nostri recte inscriptum est:

absolvit Cosmas Stornaiolo bibliothecae Vaticanae scriptor. De singulis huiusmodi editis voluminibus conferenda sunt, quae disseruit H. Stevenson iunior in elucubratione nupera: *La raccolta palatina dei codici e libri a stampa, ed i lavori intorno alla medesima...* 1893, necnon praedictus Cosmas, alia in elucubratione: *Le antiche descrizioni dei Codici greci Urbino-Vaticani...* hoc eodem anno 1893.

[1] Ff. 52 *De legatis* (XXXII, 3). Ibidem Cassius meminit *membranas*. Bibliophilis viris verba Iurisperitorum huiusmodi essent quidem consideranda. Nam in his agitur de libris sive scripturis testamento donatis (sive legatis alicui haeredi). Commentatores disputant quid iuridice censeri oporteat sub librorum nomine; et quae folia sive scripta sive intacta hoc sub vocabulo debeant comprehendi; nec non quomodo numerus librorum sit computandus.

Codices graeci Ottoboniani; illud enim primum nomen quidquid scriptum est in libris, omne genus [1], complectitur, alterumque indicat de libris hic agi dumtaxat hellenicis.

IV.

Cognomen autem ab Ottoboniana [2] usurpant familia in Venetis principe, quae ab Alexandro VIII P. M. aliisque clarissimis viris suis literariam quoque famam amplissimam est consecuta [3]. Nam illius in aedibus collecti atque adservati plerique fuere libri, qui per vices temporum ac discrimina rerum iactati, tandem in Bibliothecam Vaticanam sunt recepti. Haec omnia satis abunde patent ab elucubratione, quam scripsit cl. v. Constantinus Ruggeri [4] quandó eos proposuit Benedicto XIV Pontifici Romano adqui-

[1] De Vit, ad Forcellini lexic. 1861. *Codex frequentissime accipitur pro libro.*

[2] Docum. Alex. VIII in historiis Biblioth. et aliis.

[3] Multa quoque insignia Pontifex beneficia contulit Vaticanae Bibliothecae, ubi nomine suo insignis aula addita est Alexandrina; eamque novis locupletavit thesauris ac praesertim ex libris manuscriptis reginae Svecorum. Et his etiam bibliothecae domesticae suae Ottobonianae quaedam volumina addiderat, quaeque cum Ottoboniana saeculo post Vaticanam cum aliis reginensibus sunt ingressa, et propria in sede collocata.

[4] Notitias de Ruggerio habemus in « Biografia Universale ». (Venezia 1629 t. XLIX p. 359). Ibi narratur eius ortus anno 1714 apud *Sant'Arcangelo* in Romandiola eiusque progressus. Bibliothecarius fuit Romae in Ottoboniana et Imperialensi: rexit typographeum de *Propaganda Fide*: pluresque edidit elucubrationes magna cum fama eruditionis. Vir etsi pius tamen anno 1766 tanta corripitur maniaca melancholia, ut mortem sibi consciseret. In monumentis *Nuova Raccolta* (appellata *Calogeriana*) d'opuscoli scientifici e filologici tom. XX Venezia 1770 p. 47 legitur:

rendos. Hanc historiolam, quam typis dignam iudicarat cl. v. Angelus Maius anno 1825 [1], rursus heic recudimus; nam est luculentissimum rei nostrae documentum, unde plenius quisque de iisdem iudicium faciet. Documentum haud quidem, ut Maius dedit,

Commentarius in vitam Constantini Ruggerii... descriptus ab eius amico viro Io. CHRISTOPHORO AMADUTIO. Ibi p. 59 narrat Ruggeri praefectum fuisse Bibliothecae Ottobonianae a Petro Cardinali, cui suam haud facile reperiendam elucubrationem de statua S. Hippolyti inscripserat.

[1] Eo anno *Angelus Mai* in unum collegit parvum quidem, sed magni pretii volumen, opellas duas, cui titulum duplicem apposuit: *Memorie istoriche degli Archivi della Santa Sede e della Biblioteca Vaticana - opuscoli due* -. Opusculum primum pag. 5 in fronte habet: *Memorie istoriche degli Archivi della S. Sede scritte da Mons. Gaetano Marini,* quod recusum fuit anno 1861 Friburgi in Brisgovia a Leammer in collectanea sua *Monumenta Vaticana historiam saeculi XVI illustrantia.* Alterum opusculum hic nos damus integrius atque iuxta idem authenticum exemplar una cum autographo collatum, quod refert in calce inscriptam ad illud typis edendum facultatem. Ut Maio non laudabilis mos erat, librum unde hauserat textum Rugerianum minime notavit, huius tamen notas numerales requisivimus et damus; habet enim notatum inter Manuscriptos latinos Vaticanos, numerum 9034. Idem vero Maius in praefatione ad hanc editionem suam in fronte impressionis aperte dixit: « Il primo opuscolo fu dettato dal prelodato mons. Gaetano Marini non più « tardi del 1809, il secondo è merito dell'abate Costantino Ruggeri già prefetto « della libreria Imperiali, ingegno per molte lettere direi felicissimo, se men trista « fine avesse incontrata; e fu scritto nell'anno 1749, quando il glorioso pontefice « Benedetto XIV aggiunse ai codici vaticani la manoscritta libreria Ottoboniana. « Quanto nuovo, erudito e importante sia l'argomento di amendue le scritture non « è mestieri che io lo dimostri, essendo manifesto che assai rischiarano la storia « diplomatica dei Sommi Pontefici, la biografia di molti uomini illustri e le vicende « di monumenti preziosi; in guisa che per tutti questi racconti di cose patrie « sempre più cresce la gloria della nostra Roma. — Dalla Biblioteca Vaticana « 30 Maggio 1825. » Non solum Bibliothecae Imperialis, sed et Ottobonianae praefectus erat Ruggeri. In Imperialensi Lucae Recchi bibliothecario suffectus est anno 1747, cum Lucas renunciatus esset episcopus Ripanus. De eius praefectura Ottoboniana inferius dicimus.

in veste sua aliquantulo reconcinnatum damus, sed a manuscripto, ut traderetur typis, probato eruimus; imo textum contulimus cum autographo, nonnullas varietates manu auctoris invectas [1] suis locis referentes. Cum vero nos tantum de graecis codicibus agamus, alia relinquimus dicenda iis, quibus de codicibus Ottobonianis latinis tractandis erit decreta provincia. Praeterea in hoc eodem catalogo haud praeteritum fuit, si quid in ipsis codicibus notatum invenimus de singulorum historia.

Quisque eruditus vir facile noverit praecipue [2] post numerum 400 [3] alios haberi codices aliunde Ottobonianis accensitos. Idipsum docet inscriptio graeca ab Raphaele Vernazza apposita catalogo suo. de quo mox agendum est; et patet legentibus nonnullos codices additos fuisse iis, quos ex Ottoboniana domo ad Vaticanum venere. Munifici eorum oblatores ex nomine laudantur pontifices Clemens XI, Benedictus XIII, Clemens XII. Ibidem adiungitur nomen eminentissimi viri bibliothecarii Card. Albani. Cum de his singulatim mox dicemus, nonnulla erunt animadvertenda.

[1] Confer huius commentationis Partem tertiam. Utrumque habemus exemplar Ruggerianum in Manuscripto Vaticano latino n. 9034, alterum fol. 192, alterum vero fol. 206, ut paulo post exponimus.

[2] Gregorius Placentinius e monachis Cryptaeferratae in sua egregia *Epitome Palaeographiae graecae* edita Romae 1735 p. 110, de urbanis agens graecorum codicum collectionibus dicit: *Eminentissimi Cardinalis Ottoboni Bibliotheca habet Codices bibliothecae olim Altaemps*, *aliosque multos, inter quos graeci sunt tantummodo 400*. Horum codicum numerum haud plane se meminisse adserit Montfaucon in *Palaeogr. Graec.* ann. 1708, pag. XXIII.

[3] Sunt et quidem additi codices ante hunc numerum, ut vidimus.

V.

Et sane a Clemente XI credendum est venire codicem 469, qui eiusdem homilias graece versas habet, et n. 467 qui, ut memoria ibi est, eidem fuerat dicatus.

A Benedicto XIII certe sunt, qui a monachis graecis celebris Montis Sancti seu Athos [1] illi oblati fuere, nec non qui a patriarcha Alexandrino [2] ad unitatem ecclesiae perducto sunt eidem dono dati, et Bibliothecae Apostolicae addicti.

[1] In Catalogo vides ex. Atho monte venisse codices nn. 425, 426, 427, 429, 430, 432, qui hanc habent memoriam: *SS. D. N. Benedictus PP. XIII oblatum sibi ab Abachum Andriani abate Montis Atho hunc graecum codicem in Bibliothecam Vaticanam inferri iussit.* Etsi haec desit memoria in nn. 419, 420, 422, tamen habent *Mon. Ath.* Codex vero 428 habet inscriptum: *P. D. Abachum Andriani abbas monasterii Montis Athos eiusque socius P. D. Beniaminus Vatacci Bibliothecae Apostolicae Vaticanae dono dederunt mense februario anno Domini 1726.* Sedulo libros consideranti apparent et nomina quaedam monasteriorum Athonensium, in quibus quidam horum codicum fuerant olim asservati.

[2] Notas bibliothecae patriarchalis Alexandrinae habent codices nn. 402 405, 409, 410, 412, 417 (de quo et Assemani verba facit), 418, 436, 437, 452, 456, 457 (allatus a Massad Maronita) et 462, qui referunt inscriptionem: ἐκ τοῦ θρόνου Ἀλεξανδρείας. Inter hosce codex 438 melius indicat libros Bibliothecae patriarchalis: ἐκ τῶν τοῦ ἀποστολικοῦ καὶ ἁγιωτάτου θρόνου Ἀλεξανδρείας. Alii quasdam alias habent notas, et quidam notis carent, sed ex eadem facile veniunt sede. De bibliothecis in patriarchiis constitutis praeter haec et alia documenta Romanorum pontificum, legimus in concilio Nicaeno II, Act. ultima commemorari: βίβλους ἐκ τῶν ἀποκειμένων ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ τοῦ.. πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως.

Laurentius Cozza auctor fuit patriarchae Michaeli redeundi ad unitatem ecclesiae. A Benedicto XIII sibi pernecessario et aequo doctrinae ac sacri zeli existimatore, anno 1726, renunciatus est S. R. E. presbyter cardinalis titulo aracoelitano. Cf. Feller, *Uomini illustri.* Moroni, *Dizion. di erud.* Moreri, *Diction.* Cardella, *Vite dei Cardinali,* Rom. 1794. *Biografia Universale*, Venezia 1829. Dolemus tanti viri autobiographiam periisse una cum pretiosis collectionibus, quas

Ab iis, quas Bottari custodem Bibliothecae retulisse in adversaria sua accepimus, adnotationibus novimus Clementem XII dedisse exemplar authenticum - *Bullae Unionis* - in Concilio Florentino a latinis graecisque subscriptum. Itemque ab eodem pontifice veniunt codices alii. Multi sunt ex munificentia Benedicti XIV, qui universam Ottobonianam manuscriptorum collectionem pretio redemerat [1]. Ipsi quoque parietes Vaticani loquuntur. Extat enim marmorea epigraphe testis curarum sapientissimi Lambertini tunc pontificis, in qua de libris Ottobonianis nobilis quoque mentio est:

BENEDICTVS XIV . P . M.
MVSEO . VATICANO
ANTIQVARIA . SVPELLECTILE . AMPLISSIME . EXORNATO
BIBLIOTHECAM
PLVSQVAM . MMMCCC . MSS . CODICIBVS
ALIIS . EX . PRIVATA . SVA . BIBLIOTHECA . SELECTIS
ALIIS . EX . OTTOBONIANO . PATRIMONIO
AERE . COMPARATIS
LITERATORVM . COMMODO . ET . SCIENTIARVM . INCREMENTO
MVNIFICE . AVXIT
AN . M . DCC . LXIX . PONT . IX

divites cimeliis ab oriente Romam adduxerat (Cf. Ciacconii continuat. in Vit. Cardinalium Benedicti XIII anno 1726). Ad S. Bartholomaei in insula Lycaonia Tyberis suas aedes extruxerat, illasque ornaverat peregrinationum suarum mnemosynis. Vix adhuc aedificia apparent e regione orientis solis, nec non grande eius in eadem basilica, loco nobili, marmoreum sepulcrum. Invasionis gallicae tempore multa direpta sunt; fato autem quodam bono varia doctrinae eius documenta, nempe autographa, praeter impressos libros plures, servata sunt, et ad Bibliothecam venere Vaticanam; ubi religiose custodita apparent inter latinos codices grandia eius volumina a n. 8786 ad 8809.

[1] Cf. Assemani *Catalog. Mss. Bibl. Vat.* praef. gener. p. XXIV. — D. Zanelli *La Biblioteca Vaticana dalla sua origine fino al presente.* Roma 1857 § VI.

Hic iuvat vel innuere inter Ottobonianos graecos esse quosdam manuscriptos libros, qui pontificis munificentissimi memoriam exhibent, ut in pervetusto nobilique codice graeco n. 396 [1] legimus. Alii quoque codices per Cardinales Bibliothecarios Albani et De Zelada [2] inter hos fuere cooptati, ut ab ipsis inscriptionibus et aliis monumentis apertum est.

Postquam Ottoboniani thesauri in custodiam Vaticanam invecti fuere, atque aliorum codicum numero aucti, ut diximus, huius moderatoribus cura fuit, ut in novis tábulis descripti, novum honoris sui locum ex ordine rite occuparent. Hinc factum est, ut graeci codices labente saeculo XVIII in duplicia quasi regesta sua recenserentur; quorum volumen alterum per alphabeticas litteras dispositum est; alterum vero iuxta ordinem ab iis codicibus occupatum per numerales notas distinctos describit singulos libros. De utroque volumine atque auctoribus in altera commentationis Parte agendum instituimus.

VI.

Interea ad nostram aetatem ventum est, in qua catalogi novi, nova methodo, maioribusque curis edendi sunt iussi. Per Biblio-

— I. Carini *La Biblioteca Vat. proprietà della S. Sede.*, *1892, n.* xxv. — Moroni l. c. art. *Biblioteca Vat.* etc. Ad emendos Ottobonianae familiae codices Benedictus XIV scutata 5500 solvit.

[1] Memoria est in cod.: *ex dono SS. D. N. Benedicti PP. XIV mense Octob. MDCCLI.* Inter latina quoque mss. Ottoboniana non desunt codices, qui eundem donatorem idemque donum fateantur. Cf. n. 3133 Ottob.

[2] Cf. Codicem Ottob. gr. 392, in quo memoria est emptionis a praedicto Card. Bibliothecario peractae anno 1782.

thecarium Placidum Schiaffino advocati sunt ad munus hocce aggrediendum ecclesiastici viri Ernestus Feron et Fabianus Battaglini, qui acceptis opportunis monitis et exemplaribus in aliis impressis catalogis [1], manus operi admoverunt. Ipse quoque si quid potui praestiti, ut hanc spartam suam facilius expeditiusque conficerent exornarentque.

De methodo adhibita plura dicere haud heic iuvat, et cuique bibliophilo legenti facile apparebit hoc praecipue curae illis fuisse, ut nihil necessarii omissum foret, nihilque redundans ad pondus apponeretur augendum. Uniuscuiusque enim voluminis nota numerali relata, materia eiusdem declaratur, sive in membrana sive in charta exarati fuerint libri, nec non in quantam mensurae amplitudinem per longum et latum plagulae producantur. Accedit numerus foliorum, quibus singuli constant, atque aetas cum indicatione anni aevi nostri, si certa est, sin minus saeculi, ut palaeographia docet.

Si quae in ipso codice reperiantur notae, quae referant sive vetustam seriem librorum, sive dominos, sive etiam indicationes tractatuum vel aliud, quo critica studia iuvari valeant, fideliter exprimuntur, antequam de opere vel tractatibus variis iuxta pagellas praebeatur notitia cum titulo graece adamussim repetito. Praeterea, si aliqua mnemosyna volumen habeat, minime sunt praetermissa.

[1] Antequam conficerentur et ederentur novi Catalogi Vaticani, partes fuerunt doctorum hominum inspicere modos omnes in hoc grandi opere adhibendos. Inspectis itaque tum veterum tum recentiorum hac in re operibus ratio suscepta est, quae parum vel ne hilum immutata perseverat in opere regundo. Imprimis hae quasi generales regulae duce Emo Bibliothecario I. B. Pitra quasi operis fundamenta positae sunt.

Fortasse alii alia in hisce indicibus, iuxta desideria sua, vellent notata; sed iusta lance ad usus omnium, quae descripta sunt, fuere temperanda.

Hoc unum testimonium operi illorum sufficiat dare, quod omni cura diligentiaque adlaborarunt, ut mandatum suum pro viribus absolverent dignum loco atque argumento. Ad huius vero operis sui instruendos diversos indices curam sollertem praecipuamque navarunt, ut usu facile et promptum studiosis viris in hoc libro instrumentum haberent. Et sane quidem plures *indices* in fine catalogi habes, quae huiusmodi curam sollertiamque plane ostendunt.

Praecipuus quidem *Auctores* ex nomine recitat, indicatque quibus in codicibus reperiantur. Horum nomina, ut codices referunt, alphabetico ordine sunt disposita atque maioribus characteribus apparent impressa, ut primo obtutu ante oculos quasi sponte ultroque legentibus occurrant.

Alia horum indicum series sequitur, quae exhibet *nomina virorum de quibus in suis scriptis vel tractatibus agitur*, praecipue in biographiis atque elogiis. Cum vero de epistolis dicatur haud in libros vel actus coactis, sed sparsim relatis, non modo auctores, sed plerumque hominum, ad quos eae datae fuerint, nomina referuntur.

Quando vero scripta habeantur ἀδέσποτα, sine nomine auctoris, vel omisso vel incerto, tunc eorumdem relato ex ordine titulo inter *Anonyma* recensentur.

Eruditioni bibliophilorum consultum quoque est in speciali indice, qui *Possessores* codicum refert, ut ipsi libri fidem faciunt. Qua quidem in serie, et qui donarunt quique obtulerunt, honoris

quoque causa appellantur. Imo etiam et commemorantur bibliothecae, in quibus varii varie fuerunt invecti, ut ipsae fidem faciunt memoriae in libris adiunctae. Cum vero pars maxima Altaempsianos possessores, ac praesertim Ducem Angelum referat inscriptos, opinati recte sunt minime iuvare lectores si horum codicum tot numeri notentur in indice; praesertim cum pro certo habeamus et multos alios libros hoc indicium amisisse, quando recentius sunt pellibus cooperti a bibliodetis. Tunc enim plures huiuscemodi adnotationes cum veteribus foliis et tegumentis periere.

Longe carior bibliophilis non modo, sed et palaeographiae studiosis accedit index, in quo *Scribae* codicum quorumdam ex autographo suo recensentur. Quo factum est, ut hinc nova exurgant nomina amanuensium, qui adeo de litteris et scientiis bene sunt meriti, et quorum memoria nominatim a posteris laudanda aequo iure est.

Tandem autem series quorumdam codicum exhibetur, in qua adnotantur ii codices, qui coloribus variis, auro vel argento, inter nostros sunt *picturis insigniores*.

Hoc pacto in his veluti compendium totius graeci thesauri Ottoboniani per series varias ante oculos habent eruditi viri. Qui vero varia exquirunt, ea commodius ac facilius in iisdem cimeliis reperire possunt. Insuper autem ex hoc veluti generali prospectu omnium librorum nostrae seriei graecae Ottobonianae tum naturam tum pretium haud difficile studiosi omnes viri percipere atque pensare possunt, et nosse quantum variis studiis vel singuli emolumentum afferre valeant.

Hisce praepositis, peculiares quasdam notitias de codicibus nostris iam olim recensitis congessimus in altera Parte, in qua

monumenta potiora vel iam nota aut rara, vel etiam inedita, enucleare studemus.

Ad postremam vero Partem reservare statutum est praecipuum documentum historiae bibliothecae Ottobonianae, quando pontifici Benedicto XIV oblata est, ut emeret atque thesauris Vaticanis adiungeret. Illudque illustrare sategimus frequentibus ad rem notulis aliisque monumentis, ut in Commentatione hac nostra, curas maiores, quot et quantas fas esset viribus nostris, conlatas esse eruditi viri dignoscant.

PARS SECUNDA

De graecis codicibus Ottoboniano-Vaticanis varie ante saec. XIX recensitis.

VII.

Ut ab historia compertum est, codices Ottoboniani antequam ad Vaticanas sedes confluerent, ab originibus variis deducti, diversis characteribus atque nominibus fuere notati: haud quidem omnes una simul, sed singillatim iuxta herum locumque, quos per vices temporum nacti fuerant. Ab iis, quae in Parte tertia historice declarabimus, quisque videt, ut nonnulli praeseferant possessorem Marcellum II pontificem, seu ante pontificatum M. Cervinum [1], plerosque doctissimum Guillelmum Sirletum [2], alii Reginam Svecorum Alexandram Christinam [3], vel proceres Altaempsianos nobili Ducum titulo insignes, alii alios dominos vel ignotos vel notos; ut apparet ab indiclis in unoquoque volumine detectis.

[1] Cf. Muntz *Les arts à la cour des Papes pendant le XV et XVI siècle. Recueil des documents inédits tirés des Archives et des Bibliothèques romaines 1877 et 1882.*

[2] Cf. L. Dorez *Recherches et documents sur la Bibliothèque du Cardinal Sirleto* in egregia collectione periodica *Mélanges de l'Ecole Française de Rome* 1891, p. 457.

[3] Cf. Stevenson seniorem praef. ad Catalogum *Codicum Graecorum Reginae Svec...* 1888 pag. x.

Haud omnes huiuscemodi persequi notitias nobis propositum est, quarum inquisitionis fines dumtaxat graeci libri claudunt. Potiora fortasse tractare fas erit, quando de Ottobonianis latinis manuscriptis catalogi erunt producendi. Modo tamen in hac altera commentationis Parte documenta quaedam expendere statuimus et alia in tertia, a quibus lux maior his codicibus fuerit obfusa, unde universa codicum nostrorum tractatio apertius erit illustrata.

Inter huiusmodi documenta minime fugient eruditos viros varia tabellionum iustitiae publicae acta, quae conscripta fuerunt, quando nostri codices vetustiores sub Altaempsianis dominis perpessi sunt vices tribunalium civilium et iudicialium concertationum, tunc a publicis patrimonii existimatoribus pretium cuique est additum volumini. Quosdam valde delectant huiusmodi notitiae, quarum haud parva seges reperient etiam in manuscriptis Vaticanis. Horum inquisitioni indicamus mss. Vat. lat. n. 9476 fol. 991. Ibidem fere omnes recognosci possunt codices, qui eo tempore apud Altaempsianos servabantur. Tituli plerumque referuntur quales erant in tegumentis appositi, ibique uniuscuiusque folia sunt numerata, addito pretio, quod iudiciali more singulis fuerat attributum.

VIII.

Cum et apud Altaempsianos proceres adservarentur codices nostri, accidit ex iisdem centum a pontifice Paulo V fuisse e sede sua depromptos, ut inferius Ruggerium narrantem audiemus. Nobis eiusdem scripta perscrutantibus ad manus venit notula excerpta ab elencho, ut putabatur. centenae huiusmodi ademptionis, quae sane eruditis viris erat consideranda. In Manuscripto Vaticano la-

tino n. 9035 prostat fol. 14, ut legimus: *Estratto di alcune cose di un Indice di Ms. della Biblioteca Ottoboni, fatto in tempo di Alessandro VIII*[1] *e intitolato « Indice dei cento tomi raccolti dalla s. m. di Alessandro VIII »*. Ex his patet non agi de centum Codicibus olim Altaempsianis, verum autem de aliis politicis collectionibus, quas praedictus pontifex Bibliothecae suae adiunxerat. Quod quidem lucidius apparet fol. 27, ubi additum est ab eadem manu: *Anno Domini 1740*; et legimus: *Indice de' rimanenti codici politici Ottoboniani che potrebbero unirsi agli altri gia trasportati in Archivio segreto Vaticano, e che tuttavia si ritengono dagli eredi del defunto Emõ Ottoboni.*

Ex his patet hasce notitias minime attingere Codices graecos; attamen non inopportunum visum est, et opinionem erroneam delere, nec non eruditis hominibus aliquid aliud scitu dignum indicare [2].

Documentum vero sane vetustum authenticumque occurrit in fronte manuscripti Vaticani latini n. 7138 ab ipsa manu Emmanuelis a Schelstrate, doctissimi saeculo XVII viri, cuius verba referimus ad unguem exscripta, praesertim cum a quibusdam aliis minus presse ad autographon edita fuerint. Volumen istud habet pretiosum Inventarium librorum, qui inter regias gazas Christinae, Svecorum olim dominae, asservati fuerant. Omnes norunt uti doctissima foemina, doctis sui temporis doctior, inter bibliophilos omnes

[1] Verba sex, quae praecedunt, fuere postea obelo improbata. Unde quoque opinandum est elenchum illum minime fuisse confectum tempore Alexandri VIII.

[2] In fine legimus pretium scutatorum 325 et obolorum 85, proponi ut de his voluminibus politicis haeredes compensentur. Tandem extrema videmus verba: *I codici in tutto e per tutto sono circa 4000.*

fastu regali semper partes principes servasset. Usi itaque hoc documento, eiusque indicationibus commoniti facile possumus recensere quosdam graecos codices, qui deinde inter Ottobonianos sunt cooptati. Eapropter recitato textu ad rem nostram observationes paucculas adnectimus:

« *La Santita di nostro Signore Alessandro VIII havendo con il proprio denaro comparata la libraria della Regina di Süetia, ha donato alla libraria Vaticana gli Codici manoscritti, eccettûati settantadûoi, chi sono dati al Archiûo Apostolico, e dúcenti qûarante alteri la più grand parte dúplicati, che Sua Beatitudine ha ritenúti per úso della propria sûa libraria· e questa notitia s'e messa al principio di qúesto indice, accio che nisciuno ricerca al avenire o pensi ripetere predetti codici, chi in qûesto indice sono notati con le lettere* A *e* B. *la prima significando gli codici dati al Archiûo, e la seconda gli codici da Súa beatitúdine ritenuti, in fede di che ho sottoscritto il nome Proprio questo di 27 Ottobre 1690.*

Emanuel A Schelstrate
Primús Cústos Bibliot. Vaticanae. »

Catalogus, qui ibi sequitur, codicum (fol. 40) titulum habet *Libri Manuscripti* usque ad librum nota distinctum numerali 2111. Hos inter a n. 610 cum titulo *Graeci* usque ad n. 672, (folio 82 v.) graeci sunt. Ibidem in margine eadem manus, quae catalogum confecerat, adnotavit *hîc desunt* [1] *graeci codices*. Numero 672 titulus est: *Pauli Aeginetae Opera*.

[1] Sic scriptum est *desunt* pro *expliciunt*, ut indicetur esse graecos a numero 610 ad 672 codices omnes.

Notula P (non B) signantur tantum numeri 660 *Homeri Odissea*, 663 *Nonni Dionysiaca*, et 669 *Incerti auctoris de toleranda et propulsanda obsidione. Item de militaribus ordinationibus.* In nostro Catalogo impresso horum primum titulum haud semel reperies; alter vero est n. 51 et 114, et tertius fortasse n. 364.

Animadvertere haud omittimus quosdam alios vidisse catalogi huius codices in praedicto manuscripto asterisco in margine notatos. Hi sunt n. 610 *Catena graecorum Patrum in Evangelium Ioannis*, n. 613 *Catena Patrum in Genesim*, n. 627 *Epistolae et Acta Apostolorum quae per anni circulum recitantur*, n. 631 *Evangelia per anni circulum Idiomate...* (sic), n. 635 *Catena Patrum in Lucam. Item alia expositio in Ioannis Evangelium.*

Codicum istiusmodi tituli respondent aliis, qui modo inter Ottobonianos recensentur; eruditos viros propterea que admonitos voluimus, ut iudicent utrum et hi, qui modo sunt Ottoboniani, veniant e patrimonio litterario Christinae Svecae.

Quando libri manuscripti Alexandrae Christinae tum graeci tum latini ad Vaticanum sunt allati, proprium retinuere nomen, sedemque nobilem nacti sunt. Ut de graecis tantum dicam, noster modo prostat typis impressus Catalogus, ex quo viri bibliophili facile possunt collationem instituere cum illis documentis codicis Vat. lat. 7138, de quo superius dicebamus; unde nonnullae criticis studiis notitiae haud inutiles colligi possunt.

IX.

Saeculi XVIII nondum octavum lustrum advenerat, quando Bibliothecae in aedibus Petri Ottoboni cardinalis praefectura commissa est viro sane docto, idoneo, atque singulari zelo in studia

flagranti. Is fuit Constantinus Ruggeri, de quo aliqua diximus, et alia quoque occurrent dicenda. Eiusdem biographus [1] refert: *Cum interim per Urbem de Ruggerii doctrina fama crebresceret, factum est, ut Petrus Ottobonius Iunior Cardinalis amplissimus, tunc Portuensis episcopus et S. R. E. Vice-Cancellarius, ut vocant, in ipsius Bibliothecae praefectum, eumdem adsciceret.* Deinde narrat quibus studiis ac libris edendis Constantinus, eo auspice, operam dedisset, unde sibi magna laus doctrinae, et maior de zelo suo admiratio sibi conciliata est.

Quod vero nostra refert, a biographo novimus curam praecipuam de codicibus graecis bibliothecae sibi concreditae sumpsisse, eosdemque recensuisse. Neque tantum de hoc catalogo nobis est testis, sed fatetur se nescire dumtaxat tempus, quo confectus ille est; videlicet an in primordiis vel in curriculo praefecturae suae, an potius quando iam de iisdem codicibus pretio vendendis agitabatur negotium. Ait enim enarrans [2]: *Tunc quidem vel dum eidem Bibliothecae praeesset, facile est, ipsum confecisse, Indicem sane accuratissimum Graecorum omnium Manuscriptorum eiusdem Bibliothecae, cuius exemplar apud ipsum repertum est.*

Hinc quoque patet inter adversaria et schedas Ruggerii vita functi, amicos eius ac studiorum reperisse praedictum codicum indicem. Absque mora nos perscrutavimus quaedam volumina manuscripta vaticana, in quibus multa seges scripturarum Ruggerii quasi haereditas litteraria collecta est. Nonnullas rem nostram spectantes chartas reperimus, quas vel ipse manu sua exaraverat vel

[1] Amadutius, l. c. § III, p. 59.

[2] Loc. cit. § IV, p. 62, et vide inferius in fine narrationem hanc integram a nobis referri.

religiose collegerat; sed minime concessum est indicem codicum, quem optabamus, nancisci.

Inquisitiones alias adiecimus; sed hucusque nos latuit pretiosa elucubratio. Nihilque aliud restat quam ominari, ut tandem aliquando vel nobis vel aliis sorte contingat illam obtinere. Cogitantibus multa nobis de hoc reperiendo volumine, suspicio quaedam in mente oborta est. Ut ex iis, quae mox dicemus, patet idem Ruggerius haud parum opera et consilio suo iuvisse virum eruditum, qui graecum de Ottobonianis codicibus in Vaticanum invectis indicem confecit: opusque istud summis laudibus pontifici commendavit. Hinc nobis visum est et posse coniici a Ruggerio elucubrationem suam eidem viro fuisse propositam vel donatam, ut res facilius ac tutius expediretur; postea vero, novis studiis istiusmodi confectis atque absolutis, Ruggerianum opus vel ab eodem auctore vel ab aliis suppressum fuisse, vel saltem ab iis schedis, quae posteris servanda erant, exclusum. Quicquid vero hac de re sit, ad haec alia, quae et Ruggerio opitulante sunt paulo post peracta circa codices nostros progrediamur.

X.

Documenta, quae hic adiungimus, propius attingunt collectionem Ottobonianam in Vaticanis aedibus receptam auctamque; imo vero per haec scripta quasi tabulas novae seriei stabiles determinatasque habemus. Duo magna sunt volumina post medium saec. XVIII cursum descripta, in quibus libri omnes graeci manuscripti Ottoboniani sunt recensiti.

Alterum numerat folia 111 ampla chartacea; atque rubea pelle apparet coopertum. In externa parte stemmata praesefert pontificis Pii VI et cardinalis Bibliothecarii Xaverii De Zelada, atque latine titulum aureis litteris inscriptum: INVENTARIUM - MSS. GRAECOR. - BIBLIOTHECÆ OTTHOBONIAN. Maior vero titulus, quasi totius operis descriptio, his verbis est concinnatus in fronte plagulae primae:

ΕΥΡΕΤΗΡΙΟΝ τῶν κωδίκων Οθωβονιανῶν καὶ τῶν ἄλλων, τῶν μὲν ἀπὸ Κλήμεντος Ενδεκάτου, Βενεδίκτου Τρισκαιδεκάτου, καὶ Κλήμεντος Δωδεκάτου Ακρων Αρχιερέων Βιβλιοθήκῃ Οὐατικανῇ δωροθέντων, τῶν δὲ ἀπὸ τοῦ ἐξοχωτάτου Βιβλιοθεκαρίου [1] Κ. Αλεξάνδρου Αλβάνου τοῖς χρήμασιν ὠνηθέντων.

Hoc volumen chartaceum nitidissime exaratum est, et praedictis in foliis 111 numerat pagellas scriptas 222.

Multas ab his verbis *Inventarii* ediscimus accessiones factas voluminibus Ottobonianis, quae tempore Benedicti XIV adquisita sunt, et quibus cooptati fuere codices alii iam extra ordinem in Bibliotheca asservati. Ex munificentia ii venerant decessorum eius Clementis XI, Benedicti XIII, Clementis XII. Praeterea huiuscemodi accessio facta esse videtur tempore Bibliothecarii Alexandri Albani, qui munus istud post annum 1761, et obitum Card. Passionei [2], ad 1780 retinuit; nam dicuntur numero Ottoboniano fuisse accensiti codices sumptu eiusdem coempti. Ab ipso catalogo mo-

[1] Sic pro Βιβλιοθηκαρίου haud recte in libro scribitur.

[2] Et is quoque codices Bibliothecae Vaticanae coemptos adiunxisse patet ex Cod. Ottob. lat. 110.

nemur quosdam codices sub praedictis pontificibus ad Vaticanas aedes venisse; et iam superius de quibusdam sermonem fecimus.

Inventarii vero huius quis auctor fuerit non dicit mnemosynon, sed certos transgredi fines paulo post Benedictum XIV tempus non patitur. Forma vero litterarum notam prodit manum Raphaelis Vernazza, qui in Bibliotheca nostra scriptor egit. Quod quidem, non ut probabilem hypothesim statuimus, sed tutam certamque notitiam damus; succurrit enim documentum sane pretiosum atque autographum, descriptum manu Constantini Ruggerii, de quo superius quoque diximus. Inter chartulas in archiviolo Bibliothecae asservatas invenimus eius scriptum, unde ille postea eduxerat exemplar authenticum et a se obsignatum pro Vernazza praedicto. En verba fideliter exscripta:

« *Attesto io infrascritto per la pura verità ricercato anche mediante il mio giuramento che essendosi risoluta la S. M. di Papa Benedetto XIV* [1], *mediante le replicate istanze fattegli da me, di comprare i Mss. della Biblioteca Ottoboniana e di collocargli nella Vaticana, mi presi la libertà di supplicare la Santità Sua di volere addossare l'incombenza dell'inventario ed indice dei 400, e più Codici greci insigni della stessa Biblioteca al sacerdote D. Raffaello Vernazza Scrittore allora sopranumerario della Vaticana, persona capacissima di fargli a dovere per la gran perizia ch' egli ha della lingua greca. Le mie umilissime suppliche furono esaudite con somma clemenza dalla Santità Sua, la quale mi commandò che io dicessi in nome suo al detto* [2]

[1] Hic scribi ceptum est verbum a sequentibus minime requisitum, et dein improbatum.

[2] Charta heic perforata.

Vernazza che incominciasse il lavoro e ne parlassi ancora con Mgr. Assemani, come in fatti feci. Mi disse di più che per i Latini egli pensava ad un altro soggetto, che non mi nominò.

Il detto Vernazza adempì subito i commandi della S. S. avendo terminato da molto tempo l'inventario di tutti i codici suddetti, il quale io ho veduto, ed è fatto con tutta la diligenza ed esattezza possibile, e non la cede punto agli altri fatti colla direzione di due uomini insigni, cioè di Mgr. Leone Alacci, e di Mgr. Zaccagni. custodi ambedue della Vaticana.

Questo è quanto [1] »

Ex his apparet confectionem *Inventarii* huius ad annos postremos Benedicti XIV vel ultra esse collocandam, et pariter quale foret iudicium C. Ruggerii de hoc opere. Stemmata confirmant tempus operis absoluti, vel libri tegmine rubro a bibliodeta cooperti. Nam Franc. Xav. De Zelada Bibliothecarius fuit ab anno 1780 ad annum 1801.

Ad laudem huius operis a Vernazza absoluti minime reticendum est ipsum quandoque observationes suas [2] inter scribendum adiecisse. Notavit interdum, unde codices venirent, ex quo alio codice essent exscripti, nec non conditio eorumdem, si aquis et madore fuerint deturpati, vel initio aut fine carentes, nec non alias scitu dignas de unoquoque volumine notitias. Non omisit

[1] Sic abrumpitur scriptura, ubi sunt improbata verba *e però io posso etc.* Fortasse in Archivis S. Sedis exemplar publicum testimonii huius cum subscriptione Constantini Ruggerii posset reperiri.

[2] Conferenda sunt folia INVENTARII praedicti 6 v., 15 v., 29 v., 79 v., 117 v. 149 v. 211 v., 217 v., 220.

notulas criticas, atque collationes cum editis operibus [1]. Haec omnia pretium operis augent, et viris eruditis operam eius commendant.

XI.

Grande alterum volumen est similiter rubra pelle tectum, auro exornatum, quod exterius inscriptum habet: INDEX CODD. MSS. GRAEC. BIBLIOTHECAE OTTHOBONIAN. Eadem stemmata ut *Inventarium* habet impressa, et folia scripta 211 enumerat. In fronte vero libri [2] interius scriptum est:

ΠΙΝΑΞ ΤΩΝ ΒΙΒΛΙΩΝ ΤΗΣ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗΣ ΟΤΤΟΒΟΝΙΑΝΗΣ

In fine vero non solum apparet nomen scriptoris Iosephi Spalletti, sed tempus scriptionis notatum, nempe a die XXVII mensis Februarii ad diem XXIV mensis Iulii, anno 7288 iuxta Byzantinas supputationes; qui annus respondet anno 1780 aerae nostrae. En eius verba ad unguem relata, quibus opus istud sane mirae velocitatis explicit,

Ο παρὼν σύλλαβος σὺν Θεῷ ἤρξατο μὲν τῇ κζ' φεβρουαρίου, διαπέπρακται δὲ ἐν τῇ κδ' Ιουλίου παρὰ τοῦ Ιωσὴφ ΣΠΑΛΛΑΙΤΤΙ Ρωμαίου τὸ ἀπὸ λαμπροτάτου καὶ τιμιωτάτου Ξαβερίου ἐκ τοῦ Ζελάδα τῆς ἁγίας Ρωμαϊκῆς ἐκκλησίας Καρδινάλεως βιβλιοθηκαρίου προστεταγμένον προθύμως ποιοῦντος ἐν ἔτει ͵ζσπη'.

[1] Quandoque Angelus Maius animadversiones adiecit suas, et alii alias. Videsis fol. 39 v., 72 v., 101, 197.

[2] Inferius ante folium tituli vidimus manu Angeli Mai adnotatum: *NB. Codex 403 idem est ac Codex 456.* Confer catalogum nuper impressum n. 456.

Celerrime quidem haec scripta sunt spatio quinque mensium, ita ut vix eo temporis spatio tot plagulas magnas exarari veloci possent calamo. Sed testimonium est peritiae insignis huius scriptoris, qui alias nobis reliquit eruditae industriae suae documenta [1]. Certe quidem eruit ab *Inventario* Raphaelis Vernazza hunc catalogum iuxta nomina auctorum et librorum dispositum; sed tamen tam parvo tempore omnia et tanta haec, non dicam parare, adnotatis numeris codicum et pagellarum, sed dumtaxat exscribere miraculo prope est.

Hoc autem labore minime contentus, interdum notulas adiecit criticas et bibliographicas. Rei nostrae testimonia habes fol. 6, 34 *de SS. Bibliis* [2], 47, 55, 75, 77 *de editione operum S. Ephraem* [3].

[1] Eo tempore haud quidem admirandum, sed quasi incredibile opus videtur illud edendi codicem Anacreontis ad exemplum non typis, sed formis scripturae in aeris laminis incisae, ut in vulgus traderetur, Romae anno 1781. Vidimus aeneas tabulas adhibitas in hac singulari editione apud nobilem familiam Cagiano De Azevedo, Frusinatem asservatas. Confer Fabricium *Bibl. Graec.* edition. *Harlesii* t. II, p. 99. Cf. et *Ephemerides litterar. Lipsiens.* an. 1784. De eiusdem Spalletti curis in biblicis rebus conf. Vercellone, qui minus recte eius nomen *Spoletti* dedit: *Dissertazioni di vario argomento*.. 1864 pag. 131, quem alii et minus accurati quandoque sequuti sunt.

[2] Haec scribit de SS. Bibliis: « Βιβλία. Plaeraque omnia quae ad sacra « Biblia pertinent in hoc articulo collegimus. Quum autem Bibliorum sacrorum « textum haud multos habeamus, ii in amplissimis beatorum Patrum commentariis « legi magna ex parte poterunt. Studiosus vero lector alios quoque ecclesiae do- « ctores, sacrarumque paginarum magistros in hoc nostro συλλάβω invisat; non « enim omnia heic lubet repetere. »

[3] Ab Assemani curata est editio magnificentissima, de qua Spalletti haec habet: « Vaticana editio S. Ephraem Syri, opera pleraque omnia ex codice no- « strae Ottobonianae bibliothecae, quem nos numero LXVIII signatum reperi- « mus, excerpsit. De reliquis vero mentionem tantum facit, vel quia eadem, quae

Legenda quoque est inscriptio fol. 103, ubi agit de operibus S. Ioannis Chrysostomi. Nonnulla enim habet de celebri editione PP. Maurinorum, deque studiis suis biblicis in textu sancti doctoris adhibitis. Testatur ipse menses duos integros insumpsisse, ut Chrysostomianum indicem conficeret, addens haec verba: *insumpsimus decem fere horas unoquoque die in codicum titulis exscribendis* [1].

Opus istud confecisse ipse docet primo tempore sollertissimi Bibliothecarii Card. Francisci Xaverii De Zelada, cuius et nobilitatis stemmata, ut mox dicebamus, in tegumento Indicis apparent auro impressa.

Cum de his Iosephi Spalletti laboribus agimus, praestat quoque referre notulam additam folio 51v. Indicis; haec enim maxime iuvat argumento nostro. Agitur de *Gregorio Nazianzeno*: « Unum « Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου praetermisimus codicem, qui in hac nostra « Vaticana adservatur, pretiosum Alexandri Albani S. R. E. cardinalis Bibliothecarii meritissimi donum [2]. Noster enim socius « qui XX et amplius annos Graeci Scholiastis officium cum laude « posset implere, tanta socordia officium tractavit suum, ut praeter « Graecorum Ottobonianorum librorum Catalogi [3] partem, omne id

« in LXVIII habentur in his reperiuntur, vel quia melioris notae libris usi sunt « Editores. Nos ut lectori faciamus laboris compendium, ipsum ut eandem nostrae « bibliothecae editionem invisat, hortamur; atque heic pauca nonnulla, quae in « aliis nostris codicibus habentur, adnectimus. »

[1] *Indicis* Mss. folio 103.

[2] In catalogo nostro confer graecum cod. 445.

[3] Cf. quae superius diximus de Catalogo a Raphaële Vernazza egregie confecto.

« tempus nihil ultra scripserit. Quum vero mihi in hoc συλλάβω « conficiendo negotium vel maximum incumbat temporisque pre« mar angustiis, haud in praesenti vacat codicem illum scrutari. « Si vires, Deo auspice, in posterum suppetent, illius pensabo ne« gligentiam, tam in hoc quam in aliis codicibus, qui huic classi « suorum faciumt desiderium. Quamobrem lacunam hanc facio. - « Habemus et alium Γρηγορίου ναζιανζοῦ elegantissimum codicem, « quem videsis in nostro συλλάβω numero CCCCXLVII cum am« plissimis Nicetae explanationibus. »

Hucusque saeculo superiore pervenere curae erga Ottobonianos codices iuxta documenta nostra et quae sedulo nobis inquirentibus reperire concessum est; sed, quae ante ingressum in eamdem Vaticanam bibliothecam de his codicibus habet historia, melius atque abundantius a sequenti postrema commentationis nonostrae Parte eruditi viri excipient.

PARS TERTIA

De Graecis Codicibus Ottoboniano-Vaticanis notitiae variae.

XIII.

Tertiam commentationis nostrae Partem praesertim ad quoddam historicum documentum illustrandum destinavimus, unde tum Ottobonianae totius, tum praecipue codicum eius Graecorum notitiam maiorem studiosi viri possunt facile adipisci. Documentum istud haud quidem nude tradimus, sed variis ac nonnumquam novis adornatum accessionibus, unde vel eius pretium vel cognitio lucidius in lumen facile veniet.

